



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

Praxis Persolvendi Preces matutinas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

Dum faciem & manus lavas.
 Pie Pelicane Jesu Domine, me immun-
 dum munda tuo sanguine. Amplius lava
 me, & ab iniquitate mea munda me.

P R A X I S

Per solvendi Preces matutinas.

*Circa primum quadrantem, si commo-
 dum sit, visita Venerabile Sacramentum;
 sin minus, ante aram domesticam, ardenti
 corde in sequentes exurgit affectus.*

Oratio I.

*Ad Sanctissimam Trinitatem.
 Sis Gratus.*

ADoro & veneror te, ô sanctissima Tri-
 nitas, te glorifico, laudo, benedico, ac
 totum me ante thronum Majestatis tue
 humillimè prosterno. Tibi gratias ago, pro
 plurimis, maximisq; beneficiis tuis, creati-
 onis, conservationis, redemptionis, sancti-
 ficationis, vocationis ad veram Ecclesiam,
 atq; ad ordinem ac statum sacerdotalis dig-
 nitatem; aliisque innumeris, & nominatim
 pro hac nocte tam feliciter transacta. Quot
 cheu! mortalium millia etiam hac nocte
 in infidelitate, hæresi, aut peccato lethali ad

Inferos rapta æternùm perierunt ? & cur non ego ? *Misericordias Domini in æternum cantabo. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*
 Psalm. 33.

ORATIO II.

Ad Deum Patrem.

Cor offer.

O Clementissime Pater ! Ego me Tibi cum corpore & anima, cum sensibus & potentiis totum offero, & ad omnem nutum ac beneplacitum tuum penitus configno. Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam : sive me ire jubes ad lucem, sive ad tenebras ; sive ad quietem, sive ad labores ; sive ad solatia, sive ad acerbitates ; sive ad vitam, sive ad mortem ; sive per aquam, sive per ignem ; sive per infamiam, sive per bonam famam : Deus meus, volui ; & legem tuam in medio cordis mei ita defixi ; ut non nisi juxta eam, quies & motus, & omnia mea dispensentur. *Domine,*

quid me vis facere ?

Act. 9.

ORA-

ORATIO III.

*Ad Dei Filium.**Opus dispone futurum.*

OJesu amantissime! aspirantete, firmissime propono, omnia mandata & iudicia justitiæ tuæ custodire. Statuo hodie, na die sanctè pensum horarum per solvere sanctissimum Missæ sacrificium sanctè celebrare: omnia denique & singula in nomine tuo faciendo & patiando sacerdotis sancti officium adimplere. *Vias tuas, Domine, demonstra mihi; & semitas tuas edoce me.* Psalm. 24.

ORATIO IV.

*Ad Spiritum Sanctum.**Vita peccatum.*

Succurre mihi obsecro, ô Divine Spiritus! qui fragilitatem meâ nosti. Ad cæcus ero, & sublimissimæ dignitatis sacerdotalis obliviscar, ut in vitiorum ac peccatorum cloacam me præcipitem, & instar volvam in volutabro luti; præsertim peccati hujus N, tantopere tibi displicetis? Absit hoc à me, Domine: Tu peccatitubantem corrobora, qui sponondit

Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem. Pl. 90.

ORATIO V.

Ad Sanctos Patronos.

Subsidiúmque pete.

Assistite mihi, hodierna die, fideliter ó sancti Patroni mei! Tu præcipuè Mater mea, & Advocata mea Sacratissima Virgo Maria: & Tu mi sancte & fidelissime Angele Custos, cum S. Josepho, S. Joanne Baptista & Evangelista, S. Petro & Paulo &c. cæterisque Divis Tutelaribus & Sanctis, hodiernâ luce celebribus. Vos pericula mea in lucidissimo Divinitatis speculo clarè cernitis; vos fragilitatem meam nôstis; vos hostium meorum multitudinem, potentiam & ferociam non ignoratis. Pro-
tegitte igitur me, obsecro & adjuvate fortiter: non enim solùm mihi est *colluctatio adversus carnem & sanguinem*; sed & *adversus Principes & potestates tenebrarum harum*. Ephes. 6.

Commendatio ad B. V.

O Domina mea Sancta Maria! me in tuam benedictam fidé, ac singularem custo-

custo-

custodiam, & in sinum misericordiae tuae
 hodie & quotidie & in hora exitus mei, a-
 nimam meam & corpus meum tibi com-
 mendo: omnem spem meam & consolati-
 onem meam; omnes angustias & miseras
 meas; vitam & finem vitae meae tibi com-
 mitto; ut per tuam sanctissimam interces-
 sionem, & per tua merita, omnia mea diri-
 gantur & disponantur opera, secundum
 tuam, tuique Filii voluntatem. Amen.

*Commendatio ad S. Angelum
 Custodem.*

ANgele Dei, qui Custos es mei, me tibi
 commissum, pietate superna, hodie custo-
 di, illumina, rege, gubernas: Et impetra mihi
 Deo misericordiam, emendationem vitae
 veram contritionem, sanctum usum Sa-
 cramentorum, felicem mortem, iudicium
 Dei particulare mite & clemens, ac beatam
 aeternitatem. Saluta quoque ex me omnes
 Sanctos Patronos meos, in primis beatissi-
 mam Virginem Mariam, Matrem ac Do-
 minam meam, illique hanc salutationem of-
 fer: Ave Maria &c. Denique roga omnes, ut
 pro me, ubi forsan inutilibus operibus oc-
 cupabor, vices meas suppleant, ac Deum pro
 me laudent. Amen.